



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötel, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Navis Institoris De Longe Portans Panem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

NAVIS INSTITORIS DE LONGE  
PORTANS PANEM.

**A**Nte Christum natum, fames erat super vniuersam terram; nihil satiabat animos hominum, ad magna, ad æterna creatos, ad imaginem & similitudinem Dei: nihil inquam satiabat, nullæ diuitiæ, nullæ dignitates, nullæ scientiæ; omnia vel inanitatem, vel vanitatem sapiebant.

Magna quidem Dei promissa in sacris litteris animos hominum suspendebant, sed omnia in ænigmate, quasi umbra transibant, diuturna spes, & longa expectatio tædium pariebant. *Donec tandem venit plenitudo temporis, quando Spiritus S. hanc Nauem adornauit, que de longè panem attulit in Bethlehem (qua domus panis appellatur) quo totus Mundus recreatus omniumque hominum desideria completa.*



*pleta fuerunt. Tulit autem hæc Nauis panem de longe, quantum distat cœlum & terra, Deus, & humana natura quam sibi Deus hypostaticè vnxit. Ecce fœminã que tria sata farina commiscuit :: a Ipsa enim corpus, & animam, & Diuinitatem commiscuit, dixit, & facta sunt, dixit, fiat mihi secundum verbum tuum, & facta sunt hæc tria vnum, quando ex purissimis Virginis sanguinibus Verbum caro factum est. b Hic est panis qui de cœlo descendit, qui dat vitam Mundo. Hunc panem Deipara Virgo toti Mundo attulit, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

I.

Habuit hæc Virgo varias proprietates Nauis, cui hic assimilatur. Sicut enim nauis ex inferiori parte, quæ in aquis est, diligentissimè clausa & obstructa est, vt quantum fieri potest, nec rimula aquis peruia sit; à superiori autem parte aperta, cœli clementiæ, & iniurijs exposita: Ita Beatissima Virgo secundum inferio-

O 5 rem

a Matth. 13. b Ioan. 6.

DN-

erat  
il fa-  
ma-  
m &  
tia-  
tes,  
, vel

fa-  
en-  
uasi  
on-  
onec  
ndo  
e de  
do-  
s re-  
om-  
leta-



riorem hominem omninò clausa, terrenis affectibus, & prauis desiderijs; sensus omnes, cor ipsum optimè custoditum, ipse fomes peccati ablati. Secundum superiorem autem hominem aperta, ad cœlestia dona percipienda, radijs solis iustitiæ exposita.

2.

Naui in prora, & puppi, angustior, & restrictior est. Communem ingressum in hunc Mundum habuit B. Virgo quo ad miseras vitæ huius: restrinxit etiam postmodum seipsam voluntaria vitæ asperitate. Porrò sub cruce & passione dilectissimi filij mirificè coangustata, varijs vitæ huius incommoditatibus attrita, sanctissimæ vitæ exemplo, tanquã in angusta puppi, vsque ad finem vitæ suæ, lugens & tristis vidua conqueiuit.

3.

Naui autẽ in medio capacissima est, vbi homines, merces, & alia recondita. Quã capax fuerit hæc naui nostra, Ecclesia in Hymnis, & Canticis suis exprimit: Quem



Quem terra, pontus Æthera,  
Colunt, adorant, prædicant,  
Trinam regentem machinam  
Claustrum Mariæ baiulat.

Id toto illo hymno præstat, & pluribus  
alijs in locis, *quem cœli capere non pote-  
rant, canit, tuo gremio contulisti.* Taceo ca-  
pacissimum illud pectus, & animam  
gratia plenam, teste Gabriele, omnibus  
Virtutibus, & donis Spiritus Sancti re-  
fertam.

4.

Naues etiam ingentia pondera fe-  
runt, quæ alias nullis machinis in tanta  
copia vehi possent. In hac naui filius Dei  
Mundum pugillo continens, Ventris  
sub arca clausus est: hunc autem ponde-  
rosam fecerunt peccata nostra; *a iniqui-  
tates nostras ipse portauit:* quia posuit in eo  
Deus iniquitates omnium nostrum. *Ve-  
rè languores nostros ipse tulit, & dolores no-  
stros ipse portauit.* Ecce qualia pondera  
hæc Nauis ferat.

O 6

5. Vt.

a Esa. 53.



5.

Vt autem hæc Navis ad optatum portum perueniat, vela sua expandit, quæ sunt pulchra illa Virginis desideria, & resignatio sui in voluntatem Dei. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: quàm promptè voluntatem suam expandit, ecce cui vento se credat, & quam feliciter plenis velis volet, orans cum Dauide, a Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. b Si filij Dei hoc Spiritu aguntur, quantò magis Mater Dei, cui ab Angelo promissum, Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

6.

Clauum interim semper tenuit Beatissima Virgo, & omnes actiones suas, summa prudentia & discretione ad Deum direxit, ad normam mandatorum Dei. Lex & voluntas Dei infallibilis Magnus est, quem semper Virgo respexit, donec ad felicissimum portum peruenit.

7. Na-

a Psal. 42. b Rom. 8.



7.

Naues autem vi tempestatum aliquando ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. b An non mirificè exaltata hæc Nauis vsque ad cœlos, solo titulo Matris Dei, quando ab Angelo salutata honorificentissimè, concepit & felicissimè Orbi genuit Deum & hominem? vt taceam de alijs celsissimis eius prærogatiuis, de raptu & excessu mentis in continua contemplatione rerum cœlestium, & amore tanti Sponsi. Simul tamen iactata, & depressa vsque ad abyssos omnium miseriarum huius vitæ non tantum spontaneis actibus humilitatis, sed & varijs ærumnis, iussa fugere cum vix nato Saluatore in exilium, vt furorem Herodis declinaret. An non animam eius gladius pertransijt, iuxta Simeonis vaticinium in persecutionibus, & cruciatibus dilectissimi filij, quando stabat dolorosa, iuxta crucem lacrymosa, dum pendebat filius?

O 7

8. Ma-

b Psal. 106.



8.

Malus huius Navis Christus erat, qui se viridem arborem vocavit: *Si in viridi ligno hoc faciūt, in arido quid fiet?* Excelsior cælis factus. *a* In hac malo Beatissima Virgo speculam suam collocavit, in eamq; ascendens cæli terræque abdita mysteria contemplata est. Huic malo vela sua affixit, illa nimirum sancta desideria, illos pios affectus quibus ad omnem Virtutum pulchritudinem, & summam vitæ perfectionem, à Spiritu S. vecta & promota fuit.

9.

Arma huius Navis, Virtutes, sunt tantæ Virginis excellentiæ, & prærogatiuæ Matris Dei, & virtus altissimi eam obumbrans, quibus cunctas hæreses sola interemit, & omnem potentiam Principis huius Mundi gloriosè fregit, & damnata illa Monstra Marina fugavit.

10. In:

*a Luc. 23. Heb. 7.*



IO.

In omnibus maris & Mundi huius  
procellis, fortis anchora hanc Nauem  
sistit & immobilem reddit, illa in dubi-  
tata in Deū spes, & fiducia huius glorio-  
sæ Virginis, cui firmissimè semper adhæ-  
sit, & pio ac materno affectu strinxit.  
Contra hanc nec portæ inferi prævalere  
potuerunt.

PIÆ CONSIDERATIO-  
N E S.

**Q**uælibet anima fidelis, est nauicula:  
ait S. Augustinus, a Mare autem  
partim corpus nostrum, partim  
totus Mundus: omnia habent amaritu-  
dinem admixtam; flant venti tentatio-  
num, aduersi casus, propriæ passiones a-  
nimi, carnalia desideria, Dæmones ipsi  
militant aduersus spiritum.

I.

Nauis autem ventis & procellis pe-  
*a Aug. super Ioan.* ricu



riculosè iactata, adiuuatur in primis eijciendo ponderosas merces, & ea quæ nauim ineptam reddunt, vt fluctibus cedat, & gubernanti obluetetur. Laborandum ergo cuius animæ cum fluctibus tentationum luctanti, vt sese exoneret amore rerum temporalium: *b* Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sapienter dicit, deprimit, quia ægrè se leuat ad superna animus terrenis immerfus.

2.

Iuuatur etiam Nauis eijciendo aquã, quæ ingressa est; & hoc planè est necessarium, quia pondus augetur, & merces corrumpuntur, & homines affliguntur, manifestoq; periculo exponuntur. Imò iuxta S. Augustinum aqua etiam per rimas ingressa neglecta, tandem nauim deprimet. Itaque vigilandum, & ad laborandum, vt si quid animus noster hausit superfluum, & perniciosum, vel

vi

*b* Sap. 9.



vi tentationum, vel sola negligentia nostra, & mala sensuum custodia, id omne per exactum conscientiae examen, & pia exercitia euacuetur.

3.

Sistitur Navis anchora proiecta, quae alicubi terrae, vel saxi affixa, ita nauem firmat, vt nulla vi tempestatis facile vel abripi, vel ad rupes allidi queat. Ita per anchoram sanctae spei pius animus firmatur, & Deo in quem confidit ita arctè adhæret, vt nullis casibus aduersis inde dimoueri possit. a *Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon fiunt, inquit Dauid, qui non commouetur in æternum. Spes enim non confundit.* b

4.

Navis ventorum vi in incertum abrepta, iuuatur vela contrahendo, & omnino aliquando deponendo. Pleni quandoque nimio fastu, pleni furore, & vindictae desiderio, pleni alijs prauis desiderijs abripimur quasi pansis velis, periculo

a Psal. 124. b Rom. 5.



lo proximi ne ad infernales rupes allidamur, vnicum ergo remedium est, vt vela contrahamus, non demus locum iræ, alijſque indomitis affectibus, ſed reſcindamus vincula, quæ nos ad interitum rapiunt.

5.

Furentibus procellis Nauclerus ad gubernaculum currit, omniq; ope adnititur vt nauem rectè gubernet, quod in ſimilibus caſibus vnicè neceſſarium eſt. Idem nobis hoc dictum velim, dum impotentes animi noſtri motus, in incertum, in manifeſtum inquam periculum, nos abripiunt, ad clauum currendum eſt, & regenda nauis diſcretè & prudenter ad amuſſim diuinæ voluntatis, & iuxta legem ac viam mandatorum eius.

6.

Denique rebus deſperatis, it clamor cœlo, Dei hominumq; auxilium imploratur. Vbi humana auxilia deſunt, quid ſuper eſt, niſi vt ad Deum clamemus cum diſcipulis, *Domine ſalua nos, perimus.*

Ita:



Ita & hortatur nos & opem promittit  
 Deus: *Quoniam in me speravit liberabo eū,*  
 &c. a *Clamabit ad me, & ego exaudiam eū:*  
*Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,*  
 & *glorificabo eum.* Ita expertus gratulatur  
 sibi Dauid, & gloriatur, b *Cum inuoca-*  
*rem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tri-*  
*bulatione dilatasti mihi.* Ita omnes San-  
 cti, & electi in necessitatibus varijs ad  
 Deum clamauerunt, & ipse redemptor  
 noster in acerbissimis suis doloribus in  
 Cruce clamans voce magna Spiritum  
 suum Patri commēdauit. c Notum illud  
 consilium S. Bernardi. *Si insurgunt venti-*  
*tationum, respice stellam, voca Mariā, &c.*

Notandum etiam ~~Malaciam~~ Malaciam no-  
 bis suspectam esse debere; ne nimium  
 quieto mari fidamus. Omnia instru-  
 menta parata esse debent, vt cum in-  
 gruit necessitas, necessaria in promptu  
 sint. Semper Nauclerus prudens ad  
 clauum vigil sedet, & acum inspicit  
 quo

a *Psal. 90.* b *Idem 4.* c *Luc. 23.*



quo Navis pergat, atque vbi res ita exigit, opus vrget. Multi periêre nimium securi.

8.

Non alienum est considerare hic differentiam magnarum nauium & triremium. Maiores naues à vento potissimū reguntur, Triremes autem magno hominum labore improbè remigando. Magnæ porrò naues alto Oceano se credunt, Triremes autem littora ferè legūt. Duas hic inumbratas spiritalias vitas reperio, Speculatiuam seu Contemplatiuam, & Actiuam. Contemplatiua altis mysterijs se credit, & Spiritu Dei regitur, & quasi passiuè se habet: Actiua autem operi intenta est, terris vicinior, eundem tamen portum sibi præfixum habent.

9.

Denique obseruatione dignum, quod nauis quam diu in mari, aut flumine natat, quouis remo facilè in omnem partem versari, in sicco verò posita extra aquam,



quam, nullis prope viribus promoueri possit: Homo item dum adhuc viuit, facile corpus suum quouis mouere, & trāferre potest; anima autem è corpore separata, cadauer, instar trunci, immotum iacet. Ita in vita spirituali, quamdiu homo viuit, multum potest apud Deum, varijs actibus Virtutū promereri; quāprimum verò viuere desinit, nil amplius mereri potest. In portu Navis stat immobilis, alijs mercibus Mercator frui nō potest, quam quas secum attulit: regreslus, & vltior nauigatio non permittitur, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. a*

*a Gal. 6.*

## ORATIO.

**O** Navis optatissima, tantis suspirijs piorum hominum, tot seculis expectata, ab ipsis quoq; Patribus in limbo tantopere desiderata, quæ filijs famelicis, & in summa egestate constitutis,



tutis, de longè panem portasti; benè veneris, O dulcissima Mater misericordiæ: Non sine pulchro omine in Bethlehem, in domum inquam panis, felicissimo partu, de longè, de cœlo utique hunc panem detulisti. Ah Domina, semper da nobis hunc panem; *a Hic est enim panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Olim naues Salomonis ex Ophir aurum, & gemmas ad ornatum Templi detulerunt: *a Verè & tu, ô Regina Cœli pretiosum thesaurum tecum tulisti, ut dignum filio Dei Tabernaculum præparares.* Ah liceat quàm demississimè conscendere hanc nauem, & tecum plenis velis, ad felicissimum portum transfretare: aliæ naues periculis nâufragij expositæ sunt, hâc nec portæ inferi subvertere possunt. Arcæ Noe memini, sed octo tantùm animæ in ea saluatæ, per hanc autem toti generi humano salus præparata. Vereor autem ô Domina, ut me indignissimum ad lintré  
meam

*a Ioan. 6. a 3. Reg. 10.*



meam ableges, qua mihi hoc fretum superandum est. Sed heu miserere, quanta me pericula manent? quid aliud clamē, quàm cum Dauide, *b vt liberer à pusillanimitate Spiritus, & tempestate, c ah ne demergat me tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum.* Sed ecce, magno meo cum solatio; ingeniosa necessitas consilium suggerit. Sæpe obseruauī ad magnas onerarias, alligari paruas, quæ etiam sine remige cum maiori quaquà transeunt. Ergo bona pace tua, O dulcis Maria, maris huius Stella, & Regina, meam cariosam lintrem, arctissimis vinculis huic tuæ victoriosissimæ Naui alligo, sic securus, æstuosum hoc mare transibo, & te Domina patrocinate, ad portum optatissimum, felicissimè haud dubio appellam. Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

(?·?)

M V-

*b Psal. 54. c Item 68.*